

## Varia.

Multa in Bacchidum Plautinae exemplaribus tralati-  
ciis extant, quae mihi videar paulo alii felicius pristino nitore  
restituisse. sed interim paucula quaedam iuvat animi causa de-  
libare.

Atque in v. 123 quidem, qui est 'i, stultior es barbaro puticio'  
quid sit 'puticius' luculenter in hoc museo (XXXVII 530) inlustra-  
vit Buechelerus. sed *barbarum* Pistoclerus postquam modo appel-  
lavit Lydum v. 121 ('o Lyde, es barbarus'), credibile vix est  
statim eundem eodem opprobrio inrisum fuisse. iam enim non  
tam litterarum ignorantia quam mentis insecitia carpitur. itaque  
'*bardulo* puticio' stultior dici videtur. atque coniunxit utrumque  
Caecilius qui v. 250 'nimis audacem nimisque bardum barbarum'  
praedicavit; stolidum et bardum iuxta posuit ipse Plautus in  
Epidico v. 421. deminutivum autem cum ludibrii petulantia op-  
time convenit.

Inter indignabundi paedagogi execrationes haec leguntur  
inde a v. 379:

néque mei neque te tui intus puditumst factis quae facis:  
quibus tuom patrem meque una amicos adfinis tuos  
tuad infamia fecisti *gerulifigulos* flagiti.

ubi neque formam compositi 'gerulifigulus' defendi neque notio-  
nem probabilem excogitari posse satis demonstravit Langenus in  
Symbolis suis p. 167 sqq. sed vide an lenissima mutatione eli-  
cuisse contigerit quod omnibus numeris satisfaciat: *querulificulos*,  
h. e. qui querellas faciunt, qui queruntur tua infamia, nam sic  
struenda erit oratio, 'flagiti' autem ad 'amicos adfinis tuos' re-  
ferendum. verum est testem novi vocabuli non extare, sed quod  
saltem vivere potuerit pro monstro ad lucem revocavi.

Insulsus panni inde a v. 393 interpolati auctor nisi forte  
plane incondita effutivit haec fere voluisse videtur:

398 qua me causa magis cum cura esse aequomst, obvigilato opust:  
402 cave sis te superare servom siris faciundo bene.

399 nunc, Mnesiloche, specimen specitur, nunc certamen cernitur,  
sisne necne, ut esse oportet, bonus malus. quouquoimodi

— iustus iniustus, malignus largus, *comm- incommodus* —

403 utut eris, *morem* haud celabis.

versum 402 ad superiora, ubi gratum se fore amico promittit  
adulescens (394 sqq.), adiunxi. praeterea versuum 399 sqq. struc-  
turam interpungendo ita expedivi, ut illud 'quouquoimodi' (v. 400)  
parenthesi interposita vocula 'utut' (403) variatum repetatur.  
*moneo* quod omni caret sensu in *morem* mutavi. denique ut iusto

iniustus, maligno largus opponitur, ita etiam *incommodo* contrarium quod esset praemittendum erat, nimirum *commodus*. ac totidem fere litteris quod verum sit Vetus exhibere videtur *com in comodus*, ubi corrector vel commentator mutilati vocabuli supplementum *odus* supra adnotavit, Decurtatus vero et Ursinianus plena *commodus incommodus* scriptura numeros oppresserunt.

Quid sit quod Chrysalus v. 929 gloriatur '*non pedibus termento fuit* praetor ego erum expugnabo meum' nondum satis ab interpretibus explanatum est, quamquam de summa sententiae nemo facile dubitat. nihili scilicet esse quidquid Atridae Pergamo expugnando triumphaverint: se enim 'sine classe sineque exercitu et tanto numero militum' arcem cepisse. atque aptissime Goetzius in Woelfflini archio (II 337) Mercatoris v. 469 comparavit: 'Pentheum diripuisse aiunt Bacchas: nugas maxumas Fuisse credo praetor quo pacto ego divorsus distrahor'. sed quam proposuit vir doctissimus imaginem: 'die That der Atriden diene den Füßen nicht zur Abreibung', nimirum tam facile fuisse facinus eorum, ut ne senserint quidem pedes, istam quidem locutionem neque ad rei quae praedicatur naturam satis accommodatam esse censeo, quoniam ne viae quidem emensae ulla subest cogitatio, neque plebei sermonis, qualem expectamus, odorem reddere genuinum. verum ni fallor indicare poterat glossa, cuius ipse post Loewium meminit, *σκύβαλον stercus, retrimentum*. nam lutum quod in via pedibus adhaeret eisque calcatur, recte *terimentum* dici concedes. ergo hoc dicere volebat Chrysalus, ne tantum quidem prae sua laude valere Atridarum victoriam, quantum quod plantis ingredientium adfigatur lutum.

Apud Terentium in eunucho v. 560 gaudio exultans Chaerea quaerit cui effundat laetitiam suam, qui eliciat quae aegre in pectore condit. obviam ei fit Antipho, qui verba illa exceperit, atque ut gratificetur amico, obtundit eum, plane ut ille voluit, rogando 'quid est quod sic gestis? quid sibi hic vestitus quaerit? | quid est quod laetus es? quid tibi vis? satine sanus? quid me adspectas?' iam istos octonarios secuntur haec: '*quid taces? CH o festus dies hominis amice salve*'. optime quidem initium versus Bentleius restituit scribendo *quid dices*, quod Donatum ipsum legisse intellexit, qui adnotaverit: 'his duabus interrogatiunculis' (prior est illa 'quid me aspectas?') descripsit *vultum dicturi*'. nam profecto 'quid taces?' qui interrogat, numquam potest videri dicturum describere. praeterea idem vir perspicacissimus vidit adlocutione 'o festus dies' blande appellari a Chaerea Antiphontem tam opportune sibi oblatum, atque plane gemellum Casinae locum I 1, 49 in comparisonem ascivit. nam si lucem diei praedicari voluisset poeta, sane posuisset accusativum admirantis 'o festum diem!' restat ut quid lateat in salutatione '*hominis amice*' enucleetur. nam 'o meus amicus' quod proposuit Bentleius vel eo suspectum est, quod sanum per se vocativum 'amice' ultro attraxerit. multo scilicet lenior manus erat adhibenda: non enim dubito quin verum sit '*o nimis amice, salve!*'

Procella captum Propertium paenitet fugisse puellam et fluctibus maris mandavisse salutem: 'nunc ego desertas alloquor aleyonas. *Nec mihi casiope solito visura carinam* Omniaque ingrato litore uota cadunt' (I 17, 2 ff.). certissime non de sidere, sed de portu Epirotico cogitandum est *Cassiope* (cf. Strabo p. 324), in quem se perventurum esse desperat. scribendum igitur '*nec mihi Cassiope aditum visura carinast*'. nam de portu ipso ne audet quidem cogitare: saltem si aditum aliquem procul aspiceret.

Deprecans Dido in epistola Ovidii Aeneam, ne proficiscatur, saltem ut maneat rogat, dum maris tempestas delentia fuerit. addit ex Parisini codicis auctoritate haec (her. 7, 45 sq.):

non ego sum tanti *quid non censeris inique*

ut pereas, dum me per freta longa fugis.

quae variis correctorum tentaminibus frustra adhuc vexata sunt. structura quidem quoniam aperte conexa sunt 'non ego sum tanti, ut pereas' media necessario concluditur per parentheses interposita esse. qua exasperavisse mulier sententiam suam videtur interrogans: *quid? num censebis, inique?* h. e. an tam mihi iniquo animo es, ut vel vitae periculum subire audeas, dum me effugias?

In Statii Thebaide (I 460) Tydeus advena cum Polynice in limine Adraستي conflictatus queritur coram rege rabiem adversarii, qui communionem nocturnae quietis ipsi invidet quodque immanes et monstra ferarum inter se participant neget homo homini: 'sunt et rabidis iura insita monstris Fasque suum, nobis sociare cubilia *terrae*'. languido glossatoris additamento sententiae acumen videtur fractum esse: concluderat Tydeus interrogando 'nobis sociare cubilia *turpest?*'

Exul Seneca Crispum amicum elegidio (PLM IV 15 p. 60 B.) salutatur, cuius ultimum distichon sic traditum est:

*an tu cui iaceo saxis telluris adhaerens,*

mens tecum est, nulla quae cohibetur humo.

opponi vides mentem, quae libera, nullis quasi claustris coercita cum amico absente versetur, et corpus brevis insulae saxis (cf. 3, 1 sq. 2, 3) inclusum. cui acumini nil satisfacit nisi initio restituendum *angustae*.

Phoenix avis postquam corpus combussit, novum ex cinere animal exoritur, cuius prima exordia sic describuntur (v. 101 sqq.):

hinc animal primum sine membris fertur oriri,

sed fertur vermi lacteus esse color.

*creuerit in mensum subitus* tempore certo

seque ovi teretis colligit in speciem.

facilis ac certa emendatio est qua in ovum vermis mutari dicitur '*mensum sopitus* tempore certo'. extincta autem in tempus quasi inanimis larvae vis vitalis, ut inmota iaceret, sic describi poterat: *corrui is*.

Lipsiae.

O. Ribbeck.